

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0038

0036

0042

0032

0047

0027

0087

0137

0537

1037

Ende

Anfang

27

Spiritum Sanctum in specie columbae videret, et aures, quibus
Patris vocem audiret, mundum reliquit; desertum intravit,
antra petiit.

Venerabilis Albertus Magnus Serm. Luc. c. 1. circa illum
locum: Puer erat in desertis etc., sic inquit: Beda dicit, quod
Johannes decem annis fuit in deserto, et cum desertum intra-
vit X annos habens, et exivit habens XXX annos, sicut patet
Lucae 3. Dicit tamen evangelium Nazaraeorum, quod Herode
quaerente pueros ad perdendum pater quidem Zacharias eo,
quod noluit prodere puerum, interfactus est, mater autem
accepto pueru paene de abdito praedicto fugit in desertum, et
cum a prosequentibus angustiaretur de pueru abscondendo,
aperuit se lapis montis scissus, et eam in se cum pueru con-
clusit, et sic evacuata est sollicitudo quaerentium. Et ex
tunc mater post alios paulos annos mortua, puer in so-
litudine remansit, et ex usu puerilis aetatis locustas comedere
didicit, et mel silvestre, quod sicut formica in desertis inven-
nit. Dicitur etiam, quod sanguis patris in vasis a sacerdotibus
receptus, et in templo servatus, continuo bullivit, quotiens
aliquis de familia Herodis in templo apparuit. Haec Albertus.
Duo autem deserta habuit S. Johannes Baptista, primum non
longe a domo paterna, in quo adhuc monstrantur antra, in
quibus juvenis habitabat; secundum juxta Jordanem, in quo
populo praedicabat et baptizabat. De primo habetur Luc. 1.
de secundo Luc. 3.

De loco, in quo stips ligni crucis crevit, ut dicitur.

Recessimus ergo a loco nativitatis S. Johannis et dimissa
valle, per quam in locum venimus, in alta conscendimus contra
Jerusalem, inde in vallem deliciosaem et fertilem descendimus,
in qua quondam stetit civitas Nobe sacerdotalis, ubi David
panes propositionis comedit, et gladium Goliathi (**B**) accepit,
ut habetur 1. Reg. 21. et Matth. 12. Hanc civitatem Saul,
rex, subvertit et omnem hominem ex ea occidit, et pueros
lactentes, et 85 sacerdotes ex ea interfecit in ore gladii, quia
civitas sacerdotum erat, ut habetur 1. Reg. 22. Et hoc fecit
ex eo, quia dederant David panem et gladium. Inde autem

